

Češka, Josef

Duae Ammianei textus (XV 5,5 et XXVIII 4,11) emendationes praeteritis simpliciores

Sborník prací Filozofické fakulty brněnské univerzity. E, Řada archeologicko-klasická. 1993, vol. 42, iss. E38, pp. [163]-168

ISBN 80-210-0918-7

ISSN 0231-7915

Stable URL (handle): <https://hdl.handle.net/11222.digilib/109054>

Access Date: 29. 11. 2024

Version: 20220831

Terms of use: Digital Library of the Faculty of Arts, Masaryk University provides access to digitized documents strictly for personal use, unless otherwise specified.

JOSEF ČEŠKA

DUAE AMMIANEI TEXTUS (XV 5,5 ET XXVIII 4,11) EMENDATIONES PRAETERITIS SIMPLICIORES

Ammiani Marcellini Rerum gestarum libros, quos Wolfgang Seyfarth adiuvantibus Liselotte Jacob-Karau et Ilse Ulmann anno 1978 Lipsiae in aedibus B. C. Teubneri edidit, priori editioni eiusdem Latino-Germanicae (Ammianus Marcellinus, Römische Geschichte, lateinisch und deutsch und mit einem Kommentar versehen von W. Seyfarth, I—IV, Berlin 1968—1971) in omni genere praestare iam primo aspectu apparet, attamen unum quemque, qui Ammianum denuo legit et interpretatur, summa admiratione afficit, quot difficultates operis Seyfarth superaverit quotque voces, quae antea in dubium vocatae vel etiam repudiatae erant, in editione Teubneriana restituerit. Praeceptum methodi suae, quod ipse in praefatione (p. XVI) commonefecit, tale est, ut auctorem antiquum non corrigamus, sed ordinem sententiarum eius intellegere conemur, dummodo perspicuus sit neque ab usu dicendi auctoris eiusdem abhorreat, nisi lectionem aliquam corruptam esse apertum sit.

Tempus, quo philologi classici emendationibus faciendis mentem acuebant, iam dudum abiit, sed lacunae in textu crucesque interpretem, qui libros e Latino in linguam quamlibet nunc in natione quadam usitatam transfert, ad meditandum aliquidque probabile divinandum multo saepius invitum quam volentem provocant. Tales paginae in editione supra laudata impressae permultae manserunt et ne omnibus quidem emendationibus, quae in textu sedem, ut ita dicam, perpetuam ceperunt, tamquam perfectis et absolutis assentiri possumus. Nam coniecturae tum demum probandae sunt, si sensus earum contextui convenit et forma litteris, quales codex archetypo proximus asservavit, accommodatur. Quia igitur problemata textologica aperta necnon abscondita adhuc plurima restant, necessitas quoque ea, quae auctor antiquus elocutus esse videtur, coniectandi vitiaque scribarum pro rei copia emendandi permanet.

Via, qua progredimur, saepissime talis est, ut primum sensus substituat, deinde ratio consideretur palaeographica. Sed quae sub mendis scribarum lateant, interdum quoque a litteris ipsis tenuiter corrigendis incipientes quaerere possumus, sicut duobus exemplis infra illatis demonstrare velim.

XV 5,5:

Dolosos magister peditum Silvanus anno 355 p. Chr. n. in comitatu imperatoris Constantii Augusti habuit inimicos, inter quos Arbitio, magister equitum praesentalis, et Lampadius, praefectus tunc praetorio, fuisse dicebantur. Quibus aliisque fortasse consciis Dynamius quidam, actuarius sarcinalium principis iumentorum, insidias Silvano struxit, postquam epistulas commendaticias per fraudem ab eo petitas acceperat. Peniculo litteras subscriptione sola excepta abstersit omnes textumque priori dissimillimum scripsit, ut magister peditum supra dictus res novas studere videretur.

Plura de hac re in Ammiani Marcellini XV 5,2—4 narratione inveniri potest, cuius continuatio in § 5 diu sub hac specie tradebatur: *Hunc fascem ad arbitrium figmenti commisit, uitam pulsaturus insontis. Dynamius praefectus est, ut haec pro imperatore scrutaretur. Haec et similia cum astu texeret, consistorium solus ingressus intimum, captato tempore uincire sperans peruigilem salutis imperatoriae custodem.*

Sic paragraphi quintae partem priorem Petrus Castellus per editionem suam Bononiensem (B) anno 1517 pervulgavit eandemque lectionem Mariangelus Accursius (A) et Sigismundus Gelenius (G) anno 1533 — ille Augustae Vindelicorum, hic Basileae — ediderunt. Nec aliter editores quoque multo posteriores se gesserunt, quin etiam I. A. Wagner, cuius editionem anno 1808 C. G. A. Erfurdt absoluit.

Quanta autem audacia Petrum Castellum effrenate Ammianum Marcellinum corrigentem vel potius depravantem tenuerit qualisque desperatio hoc loco Accursium invaserit atque Gelenium, textus in codice olim Fuldensi, nunc Vaticano Lat. 1873 (V) testatur, eidem, quem Gelenius in codice legerat Hersfeldensi, nunc exceptis fragmentis Marburgensibus (M) deperdito, vix dissimilior. Haec enim in codice V leguntur: *hunc fascem ad arbitrium figmenti co[lac. 7 litt.]sit uitam pulsaturum insontes adynamus ceptum praefectus imperatori auido scrutari haec et similia censue tereret (terrere m2) e[lac. 8 litt.]id sole ingressus intimum caperem tempore deinde sperans ut peruigilem salutis ε (= eius) custodem [lac. 9 litt.].*

Mirum igitur non est, quod I. A. Wagner textum ab archetypo valde discrepantem edens tandem dubitavit, an hoc loco recte fecisset, nam in adnotatione sua sic fortasse legendum esse putabat: *Hunc fascem ad arbitrium figmenti (compositum) commisit, uitam pulsaturus insontis Dynamius praefect(o), ut pro imperatore scrutaretur. Hic et similia cum astu texeret, consistorium solus ingressus (est) intimum, captato tempore (sistere se) sperans peruigilem salutis imperatoriae custodem.*

Wagnero autem sagacior iam anno 1636 Henricus Valesius exstitit, qui de lectione vulgata BAG, utrum vera esset necne, haesitans ea adnotavit, quae textu authentico potius contineri potuisse censebat: *Hunc fascem ad arbitrium figmenti compositum, multos pulsaturum insontes, a Dynamio susceptum praefectus imperatori auido scrutari haec et similia censuit offerendum, (consistorium) solus ingressus intimum vel et (illucescente uix) sole (conclauē) ingressus (est) intimum.*

Traditione BAG parvi aestimata F. Eyssenhardt primus emendationes Henrici Valesii anno 1871 in textum Ammianeum inseruit, postquam ipse pro duabus corruptelis co[lac. 7 litt.]sit (*commisit* BAG, *compositum* Val.) et *caperem* (*captato* BAG) *conposuit* et *capto e re* scripserat. Quarum coniecturarum unam reiciens alteramque probans V. Gardthausen alioqui Eyssenhardtum secutus est, si anno 1874 haec edidit: *Hunc fascem ad arbitrium figmenti compositum, uitam pulsaturum insontis, a Dynamio susceptum praefectus imperatori, auido scrutari haec et similia, censuit offerendum... solus ingressus intimum capto e re tempore, deinde sperans ut peruigilem salutis eius custodem...*

Quoniam Eyssenhardt atque Gardthausen codicem V lacunis scripturaeque mendis abundantem magna ex parte despiciabant, investigandi laude mediocriter tantum hoc loco processerunt. Sed alii quoque textum Ammianeum nonnusquam aegre perspicuum mederi conabantur, imprimis autem M. Haupt, qui in corruptela *censue terreret e* [lac. 8 litt.]*id sole* nihil forsitan aliud atque *consueto secrete* (*obtul*)*it solus* latere sibi persuasit, et M. Petschenig, qui *consueto repente* (*obtul*)*it aulae* legere maluit.

Anno demum 1910 Carolus U. Clark, postquam Valesii Hauptique emendationes vere ingeniosas duasque alias — *insontis* BAG et *sol*i a W. A. Harpero, discipulo olim suo, propositam — probaverat, textum codice V ut decet respecto edidit eumque Wolfgang Seyfarth bis secutus est, anno 1968 in editione sua Latino-Germanica et anno 1978 in editione Teubneriana. Ubique enim haec leguntur: *hunc fascem ad arbitrium figmenti compositum, uitam pulsaturum insontis, a Dynamio susceptum praefectus imperatori, auide scrutari haec et similia consueto, secrete obtulit soli ingressus, intimum ꝑcaperem tempore deinde sperans, ut peruigilem salutis eius custodem...*

Robertus Novák, quem cruces corruptelis additae necnon lacunae, aut a scribis ad aliquid postea supplendum reservatae aut arte philologica indicatae, semper irritabant, hac etiam occasione usus est, ut acumen ingenii temptans sollertiam suam ostenderet. Itaque verbum *caperem* in contextu obscurum vocibus *conclau*e in commutavit et iis locis, ubi lacunam viderat vel opinatus erat, in articulo *Kritische Nachlese zu Ammianus Marcellinus* (Wiener Studien, XXXIII—1911, Wien 1912, p. 299 sq.) plura ad hanc textus transformationem supplevit: *ingressus intimum* (*con*)*clau*e in tempore, deinde *sperans* (*accepturum se a principe praemium*), *ut peruigilem salutis eius custodem [et cautum]*.

Omnes Roberti Novák in parte periodi hic tractatae coniecturas J. C. Rolfe anno 1935 (iterum a. 1950, tertium a. 1956) et E. Galletier anno 1968 probaverunt, sed W. Seyfarth eas in critico tantum apparatu editionis suae Teubnerianae notavit parum a se aestimatas, iure ut arbitrator optimo. Nam necessitas multa addendi nusquam cuilibet coniecturae optima est commendatio.

Aenigma lectionis *ꝑcaperem tempore* adhuc itaque non soluta manet, quamvis a multis iam temptata. Nam neque Haupti *eam per rem se fore* neque Petschenigi *rapere in tempore* neque W. Heraei *ac potentem fore* coniecturas editorum supra dictorum ullus probavit. Seyfarth insuper

emendationem W. A. Baehrensi *caperem se fore tempore* in apparatu suo profert, qualem autem sensum Baehrens verbis citatis tribuere voluerit, in tenebris iaceret, nisi commentationem legere possemus, quae *Bericht über die Literatur zu einigen wichtigen römischen Schriftstellern des 3. und 4. Jahrhunderts aus den Jahren 1910/11—1924* inscripta in Bursiani ephemeride *Jahresbericht über die Fortschritte der klassischen Altertumswissenschaft*, vol. 203, a. 1925, p. 45—112, publicata est.

Guilhelmus A. Baehrens ibi (p. 59) artem lacunas indicandi supplendique olim crebro adhibitam despiciens scripsit: „Ähnliches gilt vielleicht für 15, 5, 5: *hunc fasces... imperatori... obtulit... ingressus intimum [caperem] se fore (tempore V) deinde sperans*“... et post alia, emendationem Roberti Novák haud accuratissime continentia... „und nehmen wir *intimum* (in *caperem* kann ein Substantiv stecken) *se fore... sperans* auf, so ist Annahme einer Lücke unnötig“.

Attamen ad Roberti Novák emendationem *ingressus intimum (con)clauē in tempore* animum denuo advertamus, quae certe similibus verborum constructionibus fulcitur, nam alibi *ad conclauē ductus est intimum* (XXX 6,3) et saepius *in tempore* (XV 5,3; 8,13; XVII 10,4; XVIII 10,4; XIX 8,7; XXX 10,1) Ammianus scripsit. Id quoque concedendum est, quod accusativus casus in appositione *ut peruigilem salutis eius custodem* personali pronomine reflexivo *se* eget, quod exemplo XV 1,3 *immunemque se deinde fore* ducti ante adverbium *deinde* hoc etiam loco fuisse arbitramur. Qui insuper scire velit, qualis adverbiorum *dein, deinceps, deinde* sit frequentia, ei Ammiani Marcellini *Rerum gestarum lexicon*, Hildesheim 1985, vol. I, p. 380 sq., succurrat, cuius I. Viansino conditor est.

Itaque censeo posteriorem periodi a nobis nunc summam explanatae partem ad intellegendum faciliorem fieri posse, si tres syllabas in archetypo haplographiae modo omissas esse credamus vel duas, sin vero *dein se* pro *deinde* substituatur.

Praefectus praetorio etenim ab imperatore gratiam eius perpetuam potius quam praemium quodlibet semel datum appetiturus fuisse videtur, sicut lectio *ingressus intimum* (scil. *conclauē*) *cape(re) rem (in) tempore (se) deinde* (vel *dein se*) *sperans, ut peruigilem salutis eius custodem...* testari potest.

XXVIII 4,11:

In capite 4° libri XXVIII Ammianus Marcellinus vitia senatus populi que Romani describit, cuius capituli paragraphum 11 Seyfarth Clarkium Rolfeumque sequens sic edidit: *Et cum ita graues sint et cultures uirtutum, ut putant, si uenturos undelibet equos aut aurigas quendam didicerint nuntiasse, ita sollerter imminent eidem et percunctantur, ut Tyndaritas fratres eorum suspexere maiores, cum priscis illis uictoriis indicatis gaudio cuncta complissent.*

In hac periodo comma seu, ut Latine dicitur, incisum *ita sollerter imminent eidem* W. Heraei emendatio est. In codice V enim *italos terhi-*

minent uident legitur, quam corruptelam *Italos ter imminent uident* Accursius, *ita imminent et* Gelenius, *ita* (ue)lociter *imminent, uident* Henricus Valesius, *ita eos examinant auide* Th. Mommsen emendare voluerunt, quibus me quoque adverbium *sollerter* contextui haud idoneum esse sentiens adiunxi, postquam syllabam *ter* in voce obscura *terhiment* transponendam esse suaseram, ut lectio *ita eos imminenter uident* patet fieret (cf. Eirene XII, Praha 1974, p. 99).

Viginti fere annis interiectis ad hoc problema reversus lectionem V paene integram defendi posse cognovi. Antea diu certe corruptelam *terhiment* denuo contemplantur et de littera *h*, quae supervacanea putatur, mecum meditabar, donec eam in syllaba *si* (i) male rescripta praesentire coepi.

Itaque post parvulam correctionem *ita eos* (vel (il) *los*) *ter, si imminent, uident et percunctantur* adhibitam textus sensum, ut spero, amissum recuperat.

Exempla proferre, quae numerale adverbium multiplicativum *ter* apud antiquos idem atque adverbium *iterum iterumque* nonnumquam significavisse testantur, necesse non habeo. Ei autem rei, quod verbum *imminere* generatim idem atque *desuper* vel *proxime impendere, inclinari, instare* valet et speciatim vim verborum *irruere, subsistere, insistere, indulgere, vicinum* vel *proximum futurumve* esse sibi vindicavit, The-saurus linguae Latinae (vol. VII 1, Lipsiae 1934—1964, col. 458—460) fidem affert.

Ex tali verborum colluvione nulla notio potius in emendatione nostra emergere videtur quam notio earum rerum vel personarum, quae *prope sunt*, velut in paragrapho XVIII 6,10, ubi de parvo puero narratur, quem mater, dum *imminentium* hostium terrore percita fugeret, impeditior trepidando reliquerat solum. Si quis id vero nobis opponat, quod in hoc testimonio verbum *imminere* sensu strictiore cum notione *minandi* apparet, ei audacter respondeamus Ammianum ludos circenses ita fastidivisse (cf. XXVIII 4,29—31), ut aurigas adventicios equosque inominales a se vocatos (XXVIII 4,30) quietis urbanae perturbatores sentiret. Huc id addatur, quod descriptionibus regionum omissis (XX 11,20; XXIII 6,28; 6,60; XXIV 4,10) auctor noster verbo *imminere* tamquam *adesse* vel *aggredi minarive* ubique utitur (XVII 1,3; 12,4; 13,9; XVIII 6,10; XX 6,6; 11,24; XXI 13,7; 15,4; XXIV 4,25; XXVI 8,3; XXVII 2,6; 4,11; XXIX 1,33; 5,18; 5,39; 5,52; XXXI 15,4).

DVĚ EMENDACE AMMIANOVA TEXTU (XV 5,5 A XXVIII 4,11), JEDNODUŠÍ NEŽ PŘEDCHOZÍ

Textová kritika dnes příliš nepřeje emendacím a editoři se všude, kde je to jen trochu možné, snaží podržet rukopisné čtení. Tak si také ve svém vydání latinského textu *Ammiani Marcellini Rerum gestarum libri qui supersunt* (B. G. Teubner, Leipzig 1978) počíná W. Seyfarth. Ale při takové rukopisné tradici, jakou má docho-

vané dílo pozdně římského historika Ammiana Marcellina, se nemohl obejít bez četných emendací, z nichž nejčastěji preferuje ty, které již starší filologové uznali za organické. V mnoha případech, kde konjektury překročily únosnou míru, však Seyfarth v textu raději ponechává mezery a přetiskuje také koruptely, výrazně ovšem vyznačené křížkem.

Při nenásilných opravách textu, které jsou zejména pro překladatele pořád ještě nezbytné, se zpravidla vychází ze smyslu vyplývajícího ze souvislosti a potom se teprve hledá paleografické zdůvodnění. Větší podíl objektivnosti však obsahuje ten postup, v němž se od oprav či doplnění jednotlivých písmen nebo slabik teprve druhotně přechází ke stránce obsahové.

Příkladem toho, jak se někdy od prvotních svévolných emendací silně porušeného textu postupně dospívá k exaktnější restituci, je paragraf XV 5,5. Jeho poslední nejasnosti zůstávají v Seyfarthově edici slova *fcaperem tempore*, v kontextu nesrozumitelná. Problém řeším doplněním slabik, které pravděpodobně vypadly tzv. haplografií: *cape(re) rem <in> tempore <se> deinde (nebo dein se) sperans, ut peruigilem salutis eius custodem* (= doufaje, že se věci chápe v pravou chvíli, napříště již jakožto bdělý strážce jeho žití).

V paragrafu XXVIII 4,11, v němž je porušené rukopisné čtení *italos terhiment uident*, dal Seyfarth při výběru emendací přednost Heraeově konjektuře *ita sollerter imminent eidem et percunctantur*. Má nová oprava *ita eos (nebo <il>los) ter, si imminent, uident et percunctantur* (= tak na ně, jsou-li nablízku, znovu a znovu hledí a vyptávají se) je však z paleografického hlediska jednodušší — *h* mohl totiž nepozorný středověký pisář zaměnit za *í* (= *si*) — a méně násilná je rovněž obsahově.